



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio prima. Vtrum Christus secundum quòd homo sit persona.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

autem est nomen potentie que communicatur creaturis a Deo quamvis non communicetur eis potentia creationi, ideo deo & creaturis cõpetit dulia accepta secundum suum genus, nõ autem latria que contrahit eum ad certã speciem, & sic intelligenda est Glossa allegata.

Sententia huius distinctionis Decime in Generali & Speciali.

**S**OLET etiam queri a quibusdam Superius determinavit Magister qualiter aliquid conveniat vni nature ex eo quod est alteri sociata, vel iuncta in persona Christi. Hic determinat quid conveniat personæ Christi ratione humanæ nature, quid enim sibi conveniat ratione diuinæ in primo lib. dictum est. Et diuiditur in duas. Primò inquit vtrum natura humanæ in Christo conveniant illa, quæ ad dignitatem humanæ nature pertinent, secundò de his que pertinent ad defectum dist. ii. Solet etiam queri. Prima est presentis lectionis. Et diuiditur in duas. Primò determinat de his que pertinent ad dignitatẽ naturalem. Secundò, de his que pertinent ad dignitatẽ gratiæ, si verò queritur. Prima diuiditur, quia primò obicit ad vtramque partẽ, & secundò soluit ibi, propter hoc inconuenientia. Secunda similiter diuiditur, quia primò querit an Christus sit filius adoptiuus, & secundò vtrum prædestinatio, de qua loquitur Apost. Rom. i. sit de persona an de natura. Secunda ibi, deinde si queritur. Prima diuiditur in tres, quia primò determinat veritatẽ. Secundo opponit cõtra eam. Tertiò soluit. Secunda ibi, Sed ad hoc opponitur. Tertia ibi, ad quod dici potest. Hęc est dist. &c.

**I**N Speciali sic procedit, & querit primò, vtrum Christus secundum quod homo sit persona an sit aliud, & arguit primò quod sic, quia in quantum est homo est aliud, aut ergo est substantia, vel aliud, non aliud: ergo substantia, non substantia irrationalis, ergo rationalis. Et sic Christus secundum quod homo est substantia rationalis. Sed hæc est distinctio personæ: ergo Christus secundum quod homo est persona. Ad oppositũ arguit, quod si Christus in quantum est homo, est persona erit tertia in Trinitate persona & non alia: sed tertia in Trinitate persona, & non alia est Deus, ergo Christus secundum quod est homo est Deus, hoc autẽ est falsum. I. quod Christus secundũ quod homo sit Deus, ergo falsum est quod sit persona. Respondet Magister primò secundum quod si Christus secundum quod homo esset persona, sequeretur tunc quod Christus assumpserit personã non naturã, hoc est falsum, ergo Christus secundum quod homo nõ est persona. Dicunt tamẽ hæc loquutionem esse verã. Si hæc præpositio secundũ exprimat vnitatẽ in persona, & hoc patet quod hæc præpositio secundum multipliciter accipitur in diuinis secundũ quod ipse declarat, secundũ tamẽ quod dicit rationẽ causalitatis falsa est. Nõ enim eo modo est Deus quo homo. Magister tamẽ ad hoc dat suum intellectũ dicens, quod argumentum præinductũ non sequitur. Videlicet quod si Christus secundum quod homo sit substantia rationalis, ergo est persona. Nam anima est substantia rationalis, nõ tamẽ est persona, quia persona dicitur quasi per se sonans, & non alij coniuncta. Dicit etiam quod illa descriptio nõ datur de personis increatis. Postea querit magister, vtrum Christus sit filius adoptiuus secundum quod homo. Et respondet quod non, imò est filius naturaliter. Tamen filius dicitur natura & deus, quia deus est natura accipiendo naturam pro essentia deitatis, sed filius est natura, hoc est, natiuitate naturali. Postea opponit quod Christus est filius patris per naturam, & virginis per gratiã, & sic in quantum est filius virginis, per gratiã est filius adoptiuus. Et respondet quod potest dici, quod Christus est filius natura, & per gratiã vnionis. Non tamen sequitur quod sit filius adoptiuus, quod pluribus autoritatibus probat. Vltimo querit de quo intelligitur prædestinatio, de qua loquitur Apostolus. Et respondet quod potest intelligi de natura humana quæ prædestinata fuit vni verbo, potest etiam intelligi de persona ratione nature. Et in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Christus secundum quod homo sit persona.

Thom. 1. q. 16. ar. 12.

**C**irca distinctionem istam primò queritur, vtrum Christus secundum quod homo sit persona. Et videtur quod sic, quia illud quod cõuenit alij homini secundum quod est homo conuenit Christo. Est enim alius hominibus similis secundum illud Philip. 2. In similitudine hominũ factus, sed omni alij secundum quod homo est conuenit esse personam, ergo & Christo.

**I**tem secundum Boëtium, persona est rationalis nature indiuidua substantia, sed Christus in quantum homo est huiusmodi, est enim aliquid secundum quod homo vt dictum fuit prius di. 7. Nõ autem accidens, sed substantia, nõ irrationalis sed rationalis, non vniuersalis, sed indiuidua, ergo Christus secundum quod homo est persona.

**I**tem Christus secundum quod Deus est persona, sed Christus secundum quod homo est Deus, ergo Christus secundum quod homo est persona. Maior videtur vera, Minor probatur dupliciter. Primò, quia Christus est Deus per gratiã vnionis, sed Christus secundum quod homo habet talem gratiã, ergo Christus secundum quod homo est deus. Secundo, quia Christus non est homo vniuersalis sed iste homo singularis, sed Christus secundum quod iste homo est Deus, quia in isto homine demonstratur suppositum æternum quod naturaliter est deus, ergo &c.

**I**N CONTRARIUM arguitur, quia si Christus secundum quod homo est persona, aut est persona creata, aut increata. Non increata, quia Christus secundum quod homo est creatus, nec creata, quia tunc in Christo essent duæ personæ quod est erroneum, ergo &c.

**R**ESPONSIO. Videndum est primò de natura huius implicationis secundum quod. Secundo ex hoc apparet solutio quæstionis.

**Q**uantum ad primũ sciendum est quod hæc implicatio secundum quod, si proprie sumatur importat causam inherentiẽ prædicati ad subiectũ, quod potest esse dupliciter, quia quandoque notat causam remotã ad quã nõ ex necessitate sequitur effectus, præexigitur tamen necessario ad effectũ, vt si dicatur quod Christus secundum quod homo est prædestinatus, quia est hominẽ nõ est præcisa causa, seu ratio quare esse prædestinatus cõpetit Christo. Alioquin ois homo esset prædestinatus sicut & Christus. Necessè est tamen Christum esse hominẽ ad hoc vt sit prædestinatus, quandoque verò denotat causam proximã ad quã necessario sequitur effectus, sicut cum dicitur quod sortes secundum quod homo est risibilis, similiter est in proposito cum dicitur Christus secundum quod homo &c. Hæc implicatio debet denotare si proprie sumatur, causam inherentiẽ prædicati ad subiectum, causam dico proximã vel remotã. Et quia noie hominis importatur suppositum habens talem naturã, & per hoc posset videri alicui quod sufficit quod per implicationem importetur causa inherentiẽ prædicati cum subiecto ratione cuiuscumque eorũ, scilicet ratione suppositi, vel nature.

**I**deo considerandũ est secundo quod terminus concretus positus in prædicato vel in quacumque implicatione circa subiectũ tenetur formaliter pro natura, & nõ materialiter pro supposito nõ quod terminus cõcerus vnquã supponatur formaliter pro natura in recto ex quacumque parte ponatur, quia tunc talis præpositio esset falsa (vt si dicatur for. est homo, vel for. secundum quod homo est rationalis, tunc enim esset sensus for. est humana natura, vel for. secundum quod est humana natura est rationalis) Sed pro fãto dicitur teneri formaliter ex parte prædicati vel implicationis, magis quod ex parte subiecti, quia quando terminus concretus ponitur ex parte subiecti magis accipitur secundum id quod est aliquod in se quod secundum id quod est habens aliam naturã, vt si dicatur album currit, album magis fiat ibi pro eo quod est aliquid subsistens in se, quod secundum quod est habens naturã talem. I. albedinẽ, quauis enim nõ possit verificari præpositio nisi currenti in se albedo, tamẽ albedo nõ est causa quare currit in se, vel cuiusque supposito currenti, vnde & non album potest currere, sed quando ponitur ex parte prædicati vel cum implicatione (vt dicendo homo est albus vel for. secundum quod albus digregat) ibi prædicatum nõ conuenit subiecto, nisi vt est habens talem naturã. Itã quod quando est implicatio natura ipsa est causa quare prædicatum inest subiecto.

8 HIS visis dicendum est ad quaestionem quod ista est simpliciter falsa Christus secundum quod homo est persona, quia implicatio importat causam inherentiæ prædicati cum subiecto quantum ad naturam per terminum implicationis importatam, nunc est ita quod natura importata per hoc nomen homo non est causa remota, vel propinqua quare cooperat Christo esse personam, ergo ista est falsa Christus secundum quod homo est persona. Maior patet ex his que sunt declarata. Minor de se manifesta est, ideo &c.

9 Ad primum arg. dicendum quod licet Christus in quantum homo sit eiusdem naturæ cum ceteris hominibus, natura tamen humana in Christo non constituit proprium suppositum sicut in aliis, unde alio modo Christus est habens naturam humanam, & ceteri homines, quia in aliis hominibus suppositum habens & natura habita non differunt realiter, saltem sic quod suppositum constituitur per aliam naturam. Sed in Christo suppositum habens naturam esse constitutum præcise per aliud quam sit humana natura, & ideo non convenit ei in quantum homo est esse personam, sicut convenit aliis hominibus.

10 Ad secundum dicendum quod persona non dicitur solum individuum substantiam naturæ rationalis, sed completam per se subsistentem, & quia natura humana in Christo non est per se subsistens, quævis sit individua, ideo ratione eius non est persona, hoc autem denotatur per implicationem cum dicitur Christus secundum quod homo, est persona, quare illa est falsa.

11 Ad tertium dicendum quod maior posset negari, quia sicut natura humana non est in Christo ratio personalitatis sic nec divina quæ est in omnibus personis communis. Vel concedatur, & dicitur tunc ad minorem per interemptionem, per eandem enim rationem ista est neganda Christus secundum quod homo est Deus & Christus secundum quod homo est persona: ut patet applicanti deductionem prius factam. Ad probationem cum dicitur quod Christus habet quod sit deus per gratiam unionis, & hanc gratiam habet in quantum homo. Dicendum est quod natura humana per gratiam habuit ut vniatur personæ divinæ, & per hanc unionem sequitur est verum esse dicere hominem deum, sed cum homo sit nomen suppositi habentis naturam humanam, & tale suppositum non præexistat gratiæ unionis non est verum dicere quod Christus in quantum homo habuit gratiam unionis. Ad aliam probationem cum dicitur quod Christus non est homo communis, sed iste homo singularis, & secundum quod iste homo est deus, ergo secundum quod homo. Dicendum quod non sequitur, quia reduplicatio facta circa inferius non oportet quod fiat circa superius, non enim sequitur Sortes secundum quod est homo est risibilis, ergo secundum quod animal.

12 Vel concessa cõsequencia adhuc potest dici quod hæc est falsa Christus secundum quod iste homo est deus, quævis quidam oppositum sentiant dicentes quod ad hoc quod aliqua propositio sit per se vera, vel cum implicatione non oportet quod prædicatum cõueniat subiecto secundum illud quod implicatur circa subiectum. Sed sufficit quod cõueniat ei secundum aliquid eorum, sicut ratiocinari cõpetit homini in quantum homo est, & tamen non cõpetit ei ratione corporis, sed ratione solius anime. Similiter in proposito cum dicitur iste homo demonstrato Christo implicatur duo, suppositum æternum ex vi demonstrationis & natura humana importata nomine hominis. Et ideo ad veritatem eius, ut videtur, sufficit quod alterum, scilicet suppositum divinum sit ratio quare prædicatum convenit subiecto, nec oportet quod natura humana sit eius ratio vel causa. Sed istud non videtur, quia hoc pronomen iste non demonstrat suppositum æternum, nisi quatenus importatur nomine hominis, ergo sic demonstrat: sicut ibi in nomine hominis importatur, sed ibi in ratione implicationis importatur formaliter, & non materialiter, hoc est, non secundum se, sed ut habens talem naturam quæ sit ratio convenientiæ prædicati cum subiecto, ut dictum fuit prius, ergo sic demonstratur, ergo non verificatur propositio nisi natura nomine hominis importata sit ratio quare esse deum conveniat Christo, non est autem, ergo &c. Nec videtur quod alii dicunt quod non oportet prædicatum convenire subiecto ratione omnium quæ implicatur, sed ratione unius solum, quia cum dicitur Christus in quantum iste homo, &c. Pronomen demonstrativum non est pars implicationis, sed demonstratio eius, & ideo oportet quod verificetur propositio ratione alicuius importati for-

maliter nomine hominis quod non est in proposito. Vel dicendum quod quantum non oportet prædicatum inesse subiecto ratione cuiuslibet implicati absolute, tamen si implicatio cadit sub reduplicacione dicente causam oportet quod prædicatum conveniat subiecto ratione omnium implicatorum, ut in omnibus patet: unde sicut hæc est vera iste homo est persona non solum pro hominibus puris, sed pro Christo: ergo similiter si ista est falsa Christus secundum quod homo est persona, eadem ratione & hæc erit falsa Christus secundum quod iste homo est persona.

## QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum conveniat deo aliquæ adoptare in filium.

Thom. 3. q. 23. ar. 1. & 2.

Secundo quaeritur de adoptione. Vtrum cõueniat deo aliquæ adoptare in filium. Et videtur quod non, quia adoptio dicitur introducta propter defectum filiationis naturalis, sed in deo non est talis defectus, ergo deo non convenit aliquem adoptare in filium.

2 Item si deo competeret aliquem adoptare in filium, aut hoc competeret alicui personæ specialiter, aut toti trinitati cõmuniter, non alicui personæ specialiter, quia actioes que sunt ad extra non possunt alicui personæ singulari convenire, adoptio autem est actio ad extra, quare &c.

3 Itæ nec toti trinitati, quia in rebus humanis illi soli cõpetit adoptare qui potest filios generare, sed in divinis toti trinitati non competit generare filium, ergo &c.

4 IN CONTRARIUM est quod dicitur Ephe. 1. Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, in quo claramus Abba patrem.

5 RESPONSIO. Videnda sunt duo. Primum est cuius sit adoptare in divinis. Secundum est cuius sit adoptari in creaturis.

6 Quantum ad primum est præintelligendum quod nomen adoptionis transfertur ab humanis ad divina, omnes autem transferretes secundum aliquam similitudinem transferunt ut dicit Philo. in Topic. (nec ait secundum omnem) ideo inter adoptionem humanam & divinam est aliqua similitudo, & aliqua dissimilitudo. Adoptio enim in humanis est extra, nec personæ in filium, aut nepotem, aut deinceps legitima assumptio, & secundum hoc tria sunt in adoptione divina & humana, & vni ex parte adoptantis, scilicet ex gratia assumat, vel adoptet. Aliud ex parte adoptati, scilicet quod fiat ex non filio filius. Tertium ex parte effectus & finis, quia non habenti ius in successione hereditatis datur ius per adoptionem. Sunt & alia tria in adoptione humana. Primum est quod adoptans non est principium eiusdem adoptati. Secundum est, quod adoptatus ante adoptionem non erat in potestate adoptantis propter quod dicitur quod adoptio est assumptio extraneæ personæ. Tertium est, quod adoptans non succedit in hereditatem adoptantis, nisi decedente adoptante.

7 Secundum hoc dicendum est quod toti trinitati cõuenit adoptare secundum rem quoad primas tres conditiones, scilicet personæ, quoad aliquam appropriationem, sed quantum ad tres ultimas non cõuenit. Primum patet, quia gratuita assumptio ad participationem hereditatis personæ non habetis ius in hereditate est adoptio, sed talis assumptio creature fit ad tota trinitate, ergo tota trinitas adoptat creaturam. Maior patet ex dictis. Mi. declaratur, quia hereditas divina est, per quam deus per seipsum est dives & beatus, sicut hereditas cuiuslibet est per quam ipse ditatur. Hæc autem hereditas divina est fructio que seipso fruitur. Videtur de seipsum & amato, ad hanc autem nulla creatura potest pertinere ex naturalibus, nec habet ius ad hoc pertinere de ex conditione suæ creationis, accipit autem hoc ius per gratiam quam deus ei dat: ut hanc beatitudinem mereatur, & ad eandem attingat, secundum illud quod dicitur Ro. 8. Gratia dei vita æterna, quare &c. Et quia indivisa sunt opera trinitatis, ideo toti trinitati indifferenter cõpetit adoptare creaturam, nihilominus tamen competit quibusdam personis, specialiter secundum appropriationem, patri quidem ut actori, filio ut exemplari, & aliquo modo ut agenti instrumentali. Sed spiritui sancto, ut imprimenti formale perfectionem per quam adoptamur in filios dei. Patri quidem ut actori, quia in humanis solius patris est adoptare, filio vero ut exemplari, quia filiatione naturalis secundum divinam naturam, & adoptio secundum humanam est exemplar adoptantis no.